

Nullã in rem magis insistent Prophetæ, quàm
 ut cultũ externum, inanem & nihili esse osten-
 dant. Caput illud septimũ Jeremiæ, cui addita
 est annotatio, nihil aliud sonat. Nam quũ agitur
 de externo cultu vero & legitimo, qui spiri-
 tualis est, per tacitam antithesin opponitur. Si
 ego sum hæreticus ita loquendo: quid Esaia fiet
 cum dicit, Incensum abominatio est mihi, Neo-
 menias & sabbatha vestra non feram. Solenni-
 tates vestras odit anima mea. cap. i. d. 13. Item,
 Qui immolat bouem, quasi qui interficiat vi-
 rum: qui offert victimam, quasi macet canem,
 ca. 66. a. 3. Sed hæc est Sorbonæ ingenuitas, quæ
 aduersus nudas & frigidas ceremonias dicta
 sunt, ad calumniam rapere, quasi externa quæ-
 uis pietatis professio damnetur, in qua synce-
 ri Dei cultores se exercent. Adde quòd locutio
 hæc mea, idoneum habet anthorem. Sic enim &
 Paulus, i. Corint. 7. d. 19, Circuncisio nihil est,
 & præputium nihil est: Item, 13. a. 2, eiusdem
 epistolæ, Si habuero prophetiam, nihil sum: si e-
 rogauero omnia mea pauperibus, & corpus
 meũ ad incẽdium tradidero, nihil mihi prodest.